

## ORDO AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM

(Rit. Rom., tit. IX, cap. II)

Præparato sale et aqua munda benedicenda, Sacerdos superpelliceo et stola violacea induitus, primo dicit:

**V.** Adjutorium nostrum in nōmine Dómini.

**R.** Qui fecit cælum et terram.

Deinde absolute incipit Exorcismum salis:

**E**xorcízo te, creatura salis, per Deum **¶** vivum, per Deum **¶** verum, per Deum **¶** sanctum, per Deum, qui te per Eliséum Prophétam in aquam mitti jussit, ut sanaréatur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credéntium: et sis omnibus suméntibus te sánitas ánimæ et cörporis; et effúgiat, atque discédat a loco, in quo aspérsum fúeris, omnis phantásia, et nequítia, vel versútia diabolicae fraudis, omnísque spíritus immundus, adjuráatus per eum, qui ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

**R.** Amen.

Orémus.

**Oratio**

**I**MMÉNSAM cleméntiam tuam, omnípotens aetérne Deus, humiliiter implorámus, ut hanc creatúram salis quam in usum géneris humáni tribuísti, bene **¶** dicere, et sancti **¶** ficare tua pietáte dignéris: ut sit omnibus suméntibus salus mentis et

cóporis: et quidquid ex eo tactum vel respérsum fúerit, cáreat omni immunditia, omnique impugnátióne spiritális nequitiæ. Per Dóminum nostrum, etc. **R.** Amen.

Exorcísmus aquæ; et dicitur absolute:

**E**xorcízo TE, creatúra aquæ, in nómine Dei **†** Patris omnipoténtis, in nómine Iesu **†** Christi Fili ejus Dómini nostri, et in virtute Spíritus **†** Sancti: ut fias aqua exorcizáta ad effugándam omnem potestátē inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantáre váleas cum ángelis suis apostáticis, per virtutem ejusdem Dómini nostri Jesu Christi: Qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. **R.** Amen.

Orémus. **Oratio**

**D**eus qui ad salútē humáni géneris, máxima quæque sacraménta in aquarum substántia condidisti; adéstō, propítius invocatióribus nostris, et eleménto huic multímodis purificatióribus præparato, virtutem tuae bene **†** dictiónis infúnde; ut creatúra tua misteriis tuis sérviens, ad abigéndos dæmones, morbósque pelléndos, divinæ gratiæ sumat effectum, ut quidquid in dómibus, vel in locis fidélium, hæc unda respérserit, cáreat omni immunditia, liberéatur a noxa: non illic résidat spíritus péstilens, non aura corrúpens: discédant omnes insidiae laténtis inimici: et si quid est, quod aut incolumentati habitántium ínvideat, aut quiéti, asper-

siónē hujus aquæ effúgiat: ut salúbitas, per invocatióne sancti tui nómini expétita, ab ómnibus sit impugnatiónebus défensa. Per Dóminum nostrum, etc. **R.** Amen.

Hic ter mittat sal in aquam in modum crucis, dicendo semel:

Commixtio salis et aquæ páriter fiat, in nómine Pa**†** tris, et Fí**†** llii, et Spíritus **†** Sancti.

**R.** Amen.

**X.** Dóminus vobiscum.

**R.** Et cum spíritu tuo.

Orémus.

**Oratio**

**D**eus invictæ virtutis auctor, et insuperabilis Impérii Rex, ac semper magnificus triumphátor: qui adversæ dominationis vires réprimis: qui inimici rugientis sævitiam súperas: qui hostiles nequitias poténter expúgnas: te, Dómine, trementes et supplices deprecámur, ac pétimus: ut hanc creatúram salis et aquæ dignanter aspicias, benignus illústres, pietatis tuæ rore sanctífices; ut ubicúmque fúerit aspérsa, per invocationem sancti nómini tui, omnis infestatio immundi spíritus abigáatur: terrórum venenósi serpentes procul pelátur: et præséntia Sancti Spíritus nobis misericordiam tuam poscéntibus, ubique adéssse dignétur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

**R.** Amen.